

Bibliothèque numérique

medic@

**Clerselier, Germain - candidat /
L'Affilé, Pierre - président. - An ab
affecto loco, quàm à Morbo
praestantior Indicatio.**

1597.

[Paris]

Cote : ms 73 n°266

QVÆSTIO MEDICA

QVOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBVS EXAGITANDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS 18. DECEMBRIS D. PETRO

Lafilco, seniore Decano, & Medico Regio, moderatore sapientissimo.

An ab affecto loco, quàm à Morbo præstantior Indicatio.

INDICATIONIS, quæ iuvantis, & nocentis cognitio est, duæ primæ sunt differentie, quæ, vel à morbo, vel à parte affecta ortum habent: ex quibus futurorum prænotationem, & remedium inuentionem, sine ulla observatione, rationatione, aut antidotico medico facile consequitur, qui prius diagnosi animum intenderit, & vim naturamque morbi intellexerit. Nam ubi obscurior est morbi species, & pars affecta latet, indicationi locus esse non potest: sed ex alterius morbi similitudine medendum, quo modo hæmorrhoi vulnus cicatrice obducitur, sic & pestilentis febris curationi terra lemmia, aut armenia bolum non ineptè adhibueris.

ET dum inuentioni remedium operam damus, toto morbi decursu, & his diligenter consideranda sunt, ne vel inedia concedant, aut plenior victu obruantur: ne vel sæpius repetita sanguinis epaphoresi, funestæ hypercatharsi, aut alii remedii intempestiu exhibitu, paritus exhauriantur: quibus cum morbo pugnantibus, reliquæ omnes indicationes obscurari necesse est: sic & ambiens aër, vitæ conditio, ætas, sexus, & alia huiusmodi, (cùm multa debentur) consimilem vim, & potestatem cum viribus habent.

NEQVE verò duntaxat morbus, sed & pars malè affecta remedium inuentioni plurimum suffragatur, nam & generalia profert remedia, idiotis etiam manifesta, & quod magis optandum est, particularia quoque, pro natura partis sæpe immutanda, eorundem præterea quantitatem, qualitatem, & utendi modum, & occasionem ostendit: ut vno indicio simul, & locus affectus, & affectus ipse dignoscantur: & sæpe morbus ipsius partis nomen retineat, aut si bi adiunctum habeat.

EST igitur in morborum internorum curatione, etiam partis laborantis habenda ratio, & ea administranda sunt remedia, quæ pars ipsa docuerit: non neglectis tamen indicationibus hæ, quæ à morbo desumptæ fuerint: quanquàm non morbus, sed pars affecta, diuersa remedia, attamen propria, indicet: ut ex inflammatione oculi, ventriculi, iecinoris facile est intelligere, quibus alia, atque alia, pro partium ratione, debetur auxilia.

INDICATIONVM à morbo, & ab affecta parte modus impar existit: à loco quidem, qui difficillimè, & non nisi exercitato patere potest, maior: à morbo verò, qui ex propriis signis facile colligitur, minor, species namque morbi pauca, & in genere nimirum sui ablationem, ostendit: pars verò multo plura amplectitur, & demonstrat temperamentum, raritatem, molliem, connexionem, situm, & his consimilia, quibus remedia cum diuersimò adhibentur: licet morbus quoque, cùm altius radices egerit, præsidiorum speciem quandoque demonstrare possit, quemadmodum & symptomata, quæ exacuendi morbor, aut vires la-
befactandi facultatem habent.

Ergo ab affecto loco, quàm à Morbo præstantior indicatio.

Ponebat Germanus Clerfeliier, Parisinus, anno Domini 1597.



DOMINI DOCTORES DISPUTAVRI,

Mag. Ioannes Duret, Med. Reg.
Mag. Georgius Cornuty.
Mag. Ioannes le Moyne.

Mag. Stephanus du Four, Med. Reg.
Mag. Claudius Boyvin.
Mag. Philippus Hardouyn de S. Jacques.

Mag. Hugo Preuosteau,
Mag. Nicolaus Elain, Dec.
Mag. Guillelmus de Baillou.